

rerum illarum pulchrarum atque admirabilium fundamenta subducere.

Itaque mihi videntur omnes quidem illi errasse, qui finem bonorum esse dixerunt, Honeste vivere. Sed alius alio magis: Pyrrho scilicet maxime, qui, virtute constituta, nihil omnino, quod appetendum sit, relinquat; deinde Aristo, qui nihil relinquere non est ausus; introduxit autem, quibus commotus sapiens appeteret aliquid, quodcunque in mentem incideret, et quodcunque tamquam occurreret. Is hoc melior, quam Pyrrho, quod vel aliquod genus appetendi dedit: deterior, quam ceteri, quod penitus a natura recessit. Stoici autem, quod finem bonorum in una virtute ponunt, similes sunt illorum; quod autem principium officii quaerunt, melius quam Pyrrho; quod ea non occurrentia fingunt, vincunt Aristonem; quod autem ea, quae ad naturam accommodata et per se assumenda esse dicunt, non adjungunt ad finem bonorum, desciscunt a natura, et quodam modo sunt non dissimiles Aristonis. Ille enim occurrentia nescio quae comminiscatur; hi autem ponunt illi quidem prima naturae, sed ea sejungunt a finibus et a summa bonorum: quae quum praeponunt, ut sit aliqua rerum selectio, naturam videntur sequi; quum autem negant, ea quidquam ad beatam vitam pertinere, rursus naturam relinquunt.

Tusc. IV. 15. Quando et aliis locis de virtute diximus, et saepe dicendum erit (pleraeque enim quaestiones, quae ad vitam moresque pertinent, a virtutis fonte ducuntur): quando igitur virtus est affectio animi constans conveniensque, laudabiles efficiens eos, in quibus est, et ipsa per se, sua sponte, separata etiam utilitate, laudabilis, ex ea proficiuntur honestae voluntates, sententiae, actiones, omnisque recta ratio; quamquam ipsa virtus brevissime recta ratio dici potest. Hujus igitur virtutis contraria est vitiositas, (sic enim malo, quam malitiam, appellare eam, quam Graeci xxxlxy appellant; nam malitia certi cujusdam vitii nomen